

ctinam Christi diris ac horrendis blasphemijs, petulantia plusquam Diabolica, persequitur.

49. Posteriore modo in Spiritum Sanctum peccare solent Apostatae, qui quamvis non universam doctrinam Evangelij abnegent & oppugnent: In uno tamen aut aliquibus, sive pluribus sive paucioribus articulis fidei, scientes & volentes, non coacti, sed sponte sua, propter mundi hujus dignitates & commoda, ad Pontificiorum, aliorumve sectariorum castra transeunt, ac multò virulentiùs reliquis veritatem agnitam blasphemant ac persequuntur. Cujus rei vivum Exemplum videre licet in Iohanne Pistorio Nidano, Apostata seculi nostri, omnium nequissimo.

50. Hac pertinent Heresiarchae & Schismatici, ut & plurimi modernorum Iesuitarum ac Sacramentariorum, qui erroris vel centies convicti, blasphemiae tamen calamo veritatem cognitam perstringere, quàm errasse videri malunt. Siquidem sunt αὐτοκατακρίτοι. Tit. 3, 10.

51. Inprimis verò viderint Constantiensis Concilij Patres, qua ratione blasphemiae hujus in Spiritum Sanctum notam effugere possint, qui scientes & ipsimet fatentes, Christum venerabile Sacramentum Altaris sub utraque specie panis & vini instituisse, ac postmodum & ab Apostolis & primitivae Ecclesiae Doctoribus integrè,

NOM